

1679

C O D I C E S

1680

V. fol. 147. *Positio M. Ja (cobi de Miza) de ymaginibus. Ea videlicet: Vtrum secundum legem evangelicam plebes christi fideles necessitantur in templis suis aliquam habendo ymaginem colere adorare uel aliter quomodolibet uenerari. Ut alibi.*

VI. fol. 160. *Sermo M. Jacobelli de Purgatorio. In illud I. Cor. 11. Ipse autem saluus erit. sic tamen quasi per ignem. Ut alibi. Vide Indicem.*

VII. fol. 168. absque titulo Differtatio illa *De Usuris*, quae incipit: *Licet usura in bona significatione capiatur pro dispositione spiritali &c.* et recensita est *Cod. CCCCXXIII. N. 4.*

VIII. fol. 204. sine titulo Opu-
sculum de variis *Virtutibus* indicans diversos earum *Gradus*. Initium: *De caritate. Infimus gradus caritatis est diligere amicum a quo homo diligitur, honoratur, fouetur &c.* Postremum pertractatur *Gaudium*.

IX. fol. 210. Oratio sensata et elegans ad Deum ad Ecclesiae pacem et concordiam impetrandam, quae incipit: *Rarissimus est qui zelum dei habeat, vicem tuam doleat &c.*

X. fol. 211. *De VII horis canonicis*. Initium: *Septies in die laudem dixi tibi &c. ut in psal. Quamuis enim deus semper in omni tempore a nobis sit laudandus &c.* *Henrico de Hassia* tribuit *Trithemius*, sed vide *Dicta ad Cod. CCCLXVII. et DLXXX.*

XI. fol. 215. Oratio *Magistri laurencij*. Initium: *Ecce nunc pre-*

uenientis gratie illuminati splendoribus clare cognouimus, quod hactenus errorum inuoluti tenebris ignorabamus. &c. *Laurentium* hunc Parochum ad *S. Henricum Pragae* putem, qui inter *Petri Paynii* realem Christi in Sacramento praesentiam uellicantis Adversarios memoratur *Balbino Bob. Doct. P. I. p. 87.* Ceterum ab *Hussi* partibus stetit.

XII. fol. 215. p. 2. Decretum *Job. Cardinalis* Rectoris et totius Coetus Magistrorum Acad. Prag. pro Purgatorio, Imaginibus, Benedictionibus Fontis, Sallis, Cereorum &c. Initium: *Cum heu presentibus periculosis ac gemebundis temporibus, ad que mundo senescente fines uenire seculorum &c. Datum prage Anno d. MCCCC^o XVII^o. die VII. Mensis. february in plena Congregatione Magistrorum Vniuersitatis sub Sigillo &c.* Sed nempe non tali auxilio, nec defensoribus istis tempus egebat. Ceterum, an ullibi typis vulgatum *Decretum* istud, ignoro. Msptum indicavi *Cod. CCCCXXII.*

CCCCXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 8^{ta}
XV. Folior. 188. 8. corrente, difficilique manu scholastica exaratus, olimque ad *Collegium Caroli Pragense* pertinens continet: I. Prolixum Tractatum, quo impugnantur singuli *Picarditarum* errores, qui e variis Catalogis noti sunt, ab Autore docto, qui tamen *Wiclefo* et *Rokyczanae* favet

1681

C O D I C E S

1682

favet, posteriorisque partes agit contra *Missivas a Picarditis ad eum datas*. Initium est: *Spiritus sanctus preuidens varias hereticorum sectas inter christianos solo nomine futuras Apostolos et propbetas ad obuandum et resistendum eisdem reliquit &c.* Ad *Picardorum Sectam* ita delabatur Noster: *Ante annum domini 1235. hij (Manichaei) et conformes heretici laborabant ad suscipiendum ewangelium sancti spiritus siue ewangelium eternum de quo in psalmo dicitur.* Constitue domine legislatorem. *Glossa.* Antichristum prae legis latorem. *Et iste maledictus adscribitur libro abbatis Joachim, quod non credo verum fore.* Nam *Innocencius in concilio lateranensi condemnauit (1215.) libellum abbatis Joachim contra magistrum petrum lombardum editum (circa 1179.) et de hoc nullam fecit mencionem.* Is autem erroneus liber positus fuit publice ad exemplandum (describendum) *Parisiis Anno domini 1254.* Unde certum est, quod iam publice predicaretur, nisi boni prelati et predicatorum impedi-
rent. *Et licet originali heresi carens per rationes tamen erroneas radix arboris letifere nequaquam celari potest.* Scribitur enim in illo libello maledicto, quod subuertetur cito ecclesia, et non debet secundum illos durare nisi ad annum domini 1260. Quod tamen evidentissime falsissimum comper-
tum est esse. In illo etiam libello comparatur ewangelium christi ad ewangelium eternum tanquam mi-

nus perfectionis habens — Et beu istis temporibus pighardite comprobant &c. Confer cum his, quae de *Evangelio aeterno* notantur in *Bibl. med. Lat. Fabricii* L. IX. ad art. *Johannis de Parma.* Sunt et alia varia per hunc *Tractatum* sparsa, quae ad *Historiam Bohemiae ecclesiasticam* seruiunt. Ita fol. 8. p. 2. *In secundo articulo prime Epistole* (ad *Joh. Rokyczanam*) asserunt (*Picardi*) quod per magistrum *Rokyczanam* commendabatur eis *Petrus Chelczicensis* cum fratribus suis quasi vero fuisset catholicus. *Dubitare non est inutile.* Magister asseruit de petro, quod quodam tempore veram fidem de sacramento eucharistie confessus coram ipso fuisset, tractatus tamen ecclesie nociuos, quos nunquam legit, nequaquam potuit commendare. Is enim petrus in tractatu suo quodam, in quo arbitrum se locat inter magistrum et thaborienses sacerdotes ex disputatione habita in montibus *Cuthenis* Anno domini 1443. inter cetera, Magister, inquit, pragensis illud dictum peruertit Sap. 9. *filius Dei edificat sibi domum &c.* Unde simul aetas hujus Scripti aliquatenus proditur. Finit illud: *dignare unicuique fidelium in fide tua perseverantiam donare quia tu es benedictus in secula seculorum Amen.* De *Petro Chelczicensi* vide *Hist. Persecut. Eccl. Boh. C. 18. §. 2. p. 59.*

II. fol. 178. p. 2. *Εισαγωγή* in notitiam V. et N. T. capite trunca, cujus modo prima verba sunt:

1683

P O L E M I C I.

1684

sunt: *distinguuntur autem tria genera preceptorum scilicet moralia ceremonialia et iudiciaria.* &c. Agitur vero primo de generali Librorum divisione, dein singulorum argumenta percensentur, et Capitum indicatur numerus. Finis in *Apocalypsi* his verbis: *que susceptura est in vita beata et habet capitula XXII.* Ad compingendum Codicem adhibitae sunt utrinque Membranae 2. e quodam Rituali *Hebraeorum* Sec. ut videtur, XV. eleganter scripto et punctato excisae, atque truncatae, quarum Περὶ μορῆς aliqua sic incipit:

ישמח משה במתנת חלקו כי
עבר נאמן קראת לו כליל
&c. תפארת בראשו

CCCCXXVII.

915 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 172. 4. bene scriptus et rubricis enotatus complectitur: I. *Job. Hussi* Tractatum *de Ecclesia* praevio Indice. Ejus initium est: *Cum quilibet viator debet fideliter credere* &c. Ut edit. *Opp.* 1715. T. I. p. 243. Nobis subscribitur: *Explicit Compendium tractatuli ex sanctorum doctorum, ac Juris canonum scripturis compilatum et excerptum. Per venerabilem Magistrum Johannem sacre Theologie Baccal. formatum de husynecz.*

II. fol. 107. p. 2. Sequitur de significatione significatorum totius officij misse. Ita: *Nota chorus significat virgines, ecclesia viduas,*

cimiterium coniugatos &c. de Personis, Vestimentis, Ritibus liturgicis.

III. fol. 108. p. 2. Incipit *Posicio Reuerendi Magistri Jacobelli De Anticristo utilis bona, super hac sequenti questione. Vtrum sicut ex scriptura plane constat christum in plenitudine temporis personaliter advenisse, ita evidenter sit deducibile ex eadem, Anticristum in complemento seculi propria venire in persona.* Ad Exemplum *Cod. CCCCXXI.* relatum. Multum negotii *Wiclefianis* dedit Antichristus.

IV. fol. 119. p. 2. Incipit *Posicio Reuerendi Magistri Frederici Epinge Juris Canonici Baccal. optima ut patebit in fine.* Contendit Autor ex *Hussi* adfelicis, ab eoque cum in *Tract. de Ecclesia*, tum in *Resp. ad Scripta M. Stanislai de Znoyma* laudatus ob hanc Positionem: *Nullum prelatum debere aliquem excommunicare, nisi prius sciat ipsum esse excommunicatum a deo.* Item: *Qui sic excommunicat, ex hoc fieri hereticum uel excommunicatum.* Initium: *Credo communionem sanctorum, scribitur in symbolo Apostolorum. Quia spiritus sanctus habitat in sanctis* &c.

V. fol. 134. *Collecta, ut e calce praeoccupo, per Venerabilem Johannem de Husynecz Magistrum arcium et Baccal. Theologie formatum.* Sunt Autoritates PP. *de Creare, Credere, Remissione peccatorum, Obedientia, Excommunicatione, Simonia,* inscriptae in edit. *suprac.* p. 237.

De